ORATIO

DE

Physiologiæ Explicandæ

MUNERE,

EX

Celeberrimi WOODWARDI Teſtamento

INSTITUTO.

ORATIO
DE
Physiologiæ Explicandæ
MUNERE,
EX
Celeberrimi WOODWARDI Testamento
INSTITUTO:
Habita CANTABRIGIÆ in Scholis Publicis

A *CAROLO MASON*, A.M. Coll. S.S. Trin. Soc.
Et Lectore WOODWARDIANO.

CANTABRIGIÆ,
Impensis GUL. THURLBOURN, Bibliopol. Cantabrigiensis.
Prostant apud J. J. & P. KNAPTON, GUL. INNYS & R. MANBY, & CAR. RIVINGTON, Bibliopolas Londinenses. MDCCXXXIV.

ORATIO
DE
Physiologiæ Explicandæ
MUNERE, &c.

CUM tot egregios viros omni literarum genere florentes, dicendi facultate et exercitatione ornatissimos, tantam ingenuorum juvenum coronam, omniumque ordinum frequentiam hodie convenisse video; est quidem quod WOODWARDI memoriæ hunc tantum honorem gratuler, ipse interea animo non parum perturbatus, qui in nova hac Provincia suscipienda oratione vos solenni, orator omnino novus minimèque exercitatus, sum excepturus; sed me recreat aliquantum reficitque, quod vos, Academici, non magis acres et eruditos judices quam candidos et humanos esse cognoverim: Hac igitur fiducia potius fretus, quam quod ex-

pectationi vestræ me satisfacere posse speraverim, novum hoc nostrum munus obire non reformidabo. Cultum vero & perpolitum dicendi genus in dissertationibus philosophicis ne expectetis, Academici; hic enim, non verborum lenociniis sed perspicuitate, non sententiarum elegantia et ornatu, sed argumentorum vi et pondere, res agenda est; verba nova, horrida, et Latinis auribus prorsus incognita, audienda sunt: Res ipsa ornari non vult; neque, si ornatum admitteret, eum me esse profiteor qui adhibere possum.

Cum vetus laudabilisque consuetudo apud omnes fere gentes prævaluerit, ut illi viri, qui vel literis vel armis floruerint, vel artes novas in usum publicum protulerint, vel quocunque modo de genere humano bene meruerint, laudibus et honoribus debitis, quandoque etiam divinis, cumularentur; quo scilicet gratum erga benefactores animum testarentur, et alii hujusmodi honoribus stimulati, virtutes, quibus parti erant, imitarentur: Officii nostri ratio postulare videtur, ut prius ad laudes WOODWARDI prædicandas, quam ad philosophiam ejus explicandam, me accingerem.

Unde

Unde enim dicendi exordium, potius quam ab illo cui ipſa dicendi occaſio debetur, petendum eſt? Præſertim cum ille tam amplam veræ laudis materiem reliquerit, ut mentitos fictoſque colores reſpuat prorſus, et ſola ſimplicique veritate, mode digne proferatur, ornari velit.

Et profecto de inſigni ejus in medicina ſucceſſu et φιλανθρωπία, de tanta ejus in omnibus fere ſcientiis, in omni literarum genere peritia, nullo diſciplinæ Academicæ adjumento, ſed proprio Marte acquiſita; de tanta demum apud exteras gentes fama et honore, ampliſſimus dicendi campus mihi pateret, niſi nupera et elegantiſſima, ex hoc ipſo loco habita oratio, hanç anſam mihi prorſus præripuiſſet.

Inerant ſane in illo viro ſumma erga omnes Comitas et Humanitas, in veritate inveſtiganda abſque præjudicio Diligentia mira et Sagacitas, in ſcribendo perſpicua et amabilis Simplicitas, in diſputando Gravitas et Modeſtia; quarum omnium in ſcriptis ſuis ampla ſatis teſtimonia reli-

 quit,

quit, longe plura et majora relicturus, nisi pudor malus prohibuisset: Maximam enim observationum suarum et scriptorum partem flammis perire voluit; quam jacturam multorum hominum industria vix et ne vix tandem aliquando supplebit.

Hæc vero cum futuris dissertationibus materiem præbebunt, in præsens omittam; Causam, quæ illum ad hanc potissimum philosophiæ partem colendam impulit, et ad nos tanta derivavit commoda, explicaturus.

Woowardus igitur, cum animum ad philosophiam applicuisset, umbratilem illam et nugacem scholasticorum philosophandi methodum aspernatus, et vestigiis maximorum virorum, Verulami, Boylei, Newtoni insistens, et veram solidamque philosophiam, non nisi longa observationum et experimentorum serie inniti posse expertus, eam hac omnino via sibi colendam esse statuit. Ne vero vel actum agere, vel aliena scrinia compilasse videretur, in illa philosophiæ parte quæ labores aliorum aut effugerit aut eluserit, quæque

quæque curam et induſtriam maxime poſtularet, ſibi laborandum eſſe duxit:

Hodiernum igitur Philoſophiæ ſtatum et progreſſum animo complexus atque perſcrutatus, vidit Matheſin tum mixtam tum abſtractam & Aſtronomiam, a multis acutiſſimiſque viris ad maximam fere maturitatem perductas eſſe. Cum tamen horum pars magna in quantitatibus menſurandis, in rationibus obſcuris componendis et elucidandis occuparentur; Alii, planetarum motus diligentiſſime obſervantes, periodos illorum numeris conſtringerent; Alii de lacubus et montibus, imo de animalibus ibidem exiſtentibus, controverſias moverent; Alii demum cometas eorumque caudas, ſi non oculorum acie, at mentis tamen, in longinquas regiones proſequerentur:

Indoluit tandem vir clariſſimus, telluris noſtræ, humani generis domicilii, cognitionem, ab his omnibus prorſus fere neglectam, jacuiſſe: Juvenum ad inſtar noſtratium quorundam, qui quamprimum ferulæ manum ſubduxerint, ad oras ſtatim peregrinas advolant, mores ſcilicet, urbes,

con-

consuetudines hominum observaturi, disciplinæ interim Academicæ, Historiæ, Geographiæ, Πολιτείας, et Religionis Anglicanæ prorsus imperiti.

Vidit etiam Physicas rerum causas a novis et verissimis principiis deductas esse; Mechanicam, Chemiam et Pneumaticam, arte et industria maxima aut inventas aut promotas; Anatomorum multa esse et egregia εὑρήματα; Medicinam ipso librorum numero laborantem et pæne obrutam.

In Historia Naturali multos magnosque viros labores suos posuisse: In re Botannica, præter alios multos, Morrisonum, Clusios, Bauhinos, et supra omnes nostratem Raium: In Animalium Historia, Moufettum, Johnsonum, Rondeletium, Aldrovandum, aliosque; magna sane nomina, et in republica literaria semper memoranda. Horum vero plerique in obviis tantum phænomenis et in cortice, ut ita dicam, terrena hærebant; internam ejus constitutionem et quasi medullam attigerunt pauci.

Et

Et ex iis qui Terræ ipsius naturam et fabricam, quæque intus in venis occlusa et abscondita contineret, explicarunt; de Metallis, de Mineralibus, de Gemmis et Lapidibus, de omni denique Re Fossili plerique conjecturas tantum suas nobis reliquerunt. Nonnulli generale quoddam systema tradentes, non rerum ipsarum vires indagando et experiundo, non earum statum, situm, atque dispositionem observando, sed Hypothesibus in musæis suis excogitatis indulgendo, pro vera natura figmenta mera, pro solida philosophia fabulas quasdam philosophicas, stilo sane ornatissimas, Theoriarum nomine nobis venditant, contra notissimas naturæ leges, et obvia quæque phænomena miserrime pecantes.

Alii, Peripateticorum more naturam proprietatesque rerum explicaturi, quatuor sibi sumunt elementa, ex certa quorum mistura una cum certo humiditatis et siccitatis gradu omnia componunt; omne illud terrenum quod undique cernimus et tangimus, proprietatibus utcunque diversis aut oppositis præditum, pro simplici elemento habentes;

bentes; cum recentiorum Philoſophorum ſagaciſſimi, poſt accuratiſſima habita ſcrutinia, Elementa ſimplicia neque nobis exhibere, neque quænam ſint explicare vel concipere ipſi poſſint.

Alii, cum altius quiddam ſapere videri volunt, atque rerum omnium phænomena cauſaſque ultra quam intellectus humanus patitur, explicare cupiunt, vires quaſdam obſcuras futileſque Hypotheſes ſibi fingunt, quibus omnia accommodant; et, ne cauſas occultas induxiſſe videantur, nova cudunt nomina, et inania verba nobis obtrudunt, per quæ quid velint ipſi neſciunt; rebus ſcilicet, de quibus philoſophantur, aut obiter tantum aut non omnino inſpectis; hi tamen Myſtæ, ſi Diis placet, naturæ, in intimos ejus receſſus ſe penetrare gloriantur, et arcana maxime recondita recludere.

Quod ad eos attinet qui aut de foſſilibus in genere tractarunt, aut ea ſola, quæ Regionum quarundam propria ſunt, in hiſtoriis ſuis naturalibus (quaſi in tranſcurſu) attigerunt, (exceptis Stenone et Agricola, cum paucis aliis) neceſſarios

rerum

rerum characteres ex genere, qualitate et ortu cujuſque petitos, aut non omnino, aut male deſcripſerunt, noviſque itidem nominibus rebus pro arbitrio impoſitis effectum eſt, ut in diverſis Autoribus res eædem diverſis nominibus, et diverſæ iiſdem appellentur. Fruſtra itaque erimus ſi in hujuſmodi commatis ſcriptoribus Ordinem et Methodum requiramus; nam ſi qui in Claſſes quaſdam rem foſſilem redigere conati ſunt, in fictitias prorſus et, ut ita dicam, nominales id tantum factum eſt: Nam quid aliud ſonant Foſſilia rara et vulgaria, pretioſa et vilia, cœleſtia, terreſtria et aquatica, ſacra et profana, utilia denique et non utilia, κριτηρίῳ omni naturali plerumque neglecto? In rerum porro definitionibus et deſcriptionibus tradendis, hiſce autoribus hoc fere ſemper ſolenne, ut ſi quam virtutem medicinalem rei cuiquam attribui, vel ex aliorum ſcriptis vel ex anilibus quibuſdam fabulis fando unquam audiverint, hac eam ſtatim ornent atque inveſtiant. Neque raro evenit ut de rerum quarundam forma et virtute inter ſe diſcrepent atque digladientur, cum de ipſa rerum exiſtentia nondum conſtet.

Sed ut Scriptorum de his rebus recensionem tandem aliquando finiam, nonnulli fuerunt et etiamnum sunt, viri sane ingeniosissimi et omnimoda fere doctrina exculti, qui tamen prejudiciis nescio quibus in Mosaicam de diluvio historiam abrepti, rerum omnium Parentem, Naturam, quæ nihil frustra agit, non simplicem et sibi semper constantem, non providam et solertem, non denique via et ratione in omnibus operibus suis progredientem; sed ludibundam sed jocantem in scenam introduxere.

Hæc igitur et hujusmodi plura cum observasset sagacissimus WOODWARDUS, hanc Historiæ Naturalis partem, si non prorsus neglectam, at saltem minime excultam, in se suscepit, eamque summa Industria, magno Ingenio, maximis impensis excoluit feliciter et promovit. Cum vero hanc Provinciam, ob Novitatem et Amplitudinem, utpote quæ tantam et tam reconditam Naturæ partem complectitur, majorem esse senserit, quam quæ ab uno quovis homine, ab aliis licet studiis prorsus vacuo, multo minus variis

et aſſiduis negotiis impedito, ad perfectionem aliqualem perduci poſſet: multorum hominum diligentiam, longam Obſervationum Experimentorum et Annorum ſeriem, neceſſarias eſſe judicavit, et in auxilium ſibi vocare ſtatuit.

Hoc ut melius efficeret Vir Optimus, inſignem illam rerum foſſilium ſupellectilem, quam ipſe tanto labore et ſumptu in hujus rei adjumentum comparaverat, poſteritati ſacram eſſe voluit: Et ne diſſiparetur aliquando et periret, in haſce Muſarum ſedes migrare juſſit; ubi ſcilicet vigilantiſſime cuſtodiretur, ita tamen cuſtodiretur, ut facilis ad has opes et quotidianus aditus omnibus pateret, qui hujuſmodi ſtudia promovere et poſſint et velint.

Egregii ergo hujus viri magnam erga vos benignitatem, magnam de veſtra fide, de ſtudiis veſtris opinionem agnoſcite, Academici; Qui hunc rerum naturalium Theſaurum, non ornamento ſolum et honori, ſed uſui etiam et emolumento vobis eſſe voluit; Qui Lecturam inſuper ſtipendio ſatis amplo cohoneſtavit; mercedem

non contemnendam annuis Inſpectoribus aſſignavit; et in Experimenta facienda, in ſupellectilis ſuæ Augmentum, in Epiſtolicum cum viris literatis Commercium, ſumptus neceſſarios ſuppeditavit; Qui Vos denique reſidui, quod exactis rationibus quotannis ſupereſſet, hæredes ſuos conſtituit.

Tantam erga noſtram Rempublicam Benevolentiam et Liberalitatem hominis nullo Inſtitutionis Academicæ vinculo nobis aſtricti, nunc præſertim dierum, quis non miretur? quis non maxime laudandas exiſtimet?

Veſtram erga Eum Pietatem gratumque animi affectum agnoſco Academici, qui nomen ejus inter ſummos Patronos et Benefactores veſtros recitandum eſſe unanimi conſenſu nuper decreviſtis. Tanti igitur viri nomen tamdiu apud nos in honore erit, quamdiu vel veræ Philoſophiæ cultus et bonarum literarum amor manebit, vel grata atque pia Benefactorum commemoratio celebrabitur; niſi forſan, quod avertat Deus, vera et ſolida hæc philoſophandi ratio inter nos in deſuetudinem abeat; vel in obſcuram iſtam et

nugacem

nugacem Scholaſticorum diſceptationem, inanes verborum ventilationes, et ſomniculoſa deliramenta tandem aliquando relabamur.

Neque major erat WOODWARDI in has Muſarum ſedes Benevolentia et ad veram promovendam philoſophiam Liberalitas, quam in providendo ne quid de ſua intentione intercideret Sagacitas, (dicam?) ſeu potius Felicitas, Qui tales tantoſq; viros Teſtamenti ſui Executores elegerit: Quorum in Laudibus efferendis cum merito multus eſſe poſſim, auribus tamen veſtris et Illorum Pudori in præſens parcam. Summam autem illorum erga Academiam noſtram Benevolentiam, erga Teſtatorem Pietatem nullo modo præterire poſſum; neque de WOODWARDI meritis detrahere videar, ſi id, quod compertum habeo, proferam: Eum, ſcilicet, haud magis proprio motu, quam illorum ſuaſu et hortatu, has potiſſimum ſedes elegiſſe, quas thecis ſuis maxima rerum foſſilium copia et philoſophandi materie refertis ornaret, & bonis ſuis fere omnibus cohoneſtaret.

Sive

Sive illorum virorum in mortui bonis quacunque disperſis, colligendis et divendendis Laborem atque Fidem; ſive in Poſſeſſionibus idoneis inveſtigandis et coemendis Diligentiam, iiſque omni Legum forma munitis, propriis inſuper ſumptibus non parum auctis, quam celerrime in manus veſtras tradendis, (cum liceret interim iis fructus intermedios in proprium uſum convertiſſe) Integritatem intueamur; Eos qui ſummis ornarentur præconiis digniſſimos eſſe nemo non confitebitur.

Neque hic ſe ſiſtit illorum erga Teſtatorem Pietas. Cum enim animadverterent, neſcio quo temporum fato, ita ſæpe eveniſſe, ut quo honeſtiore ſtipendio ornarentur Lectores, eo minorem in Officio ſuo obeundo diligentiam adhiberent: Huic malo quam primum occurrendum eſſe judicarunt, atque idcirco inter decreta nuperrime retulerunt, ut quantum officio ſuo deeſſet Lector, tantum de aſſignato ſtipendio detraheretur; ut ſiquando in deſuetudinem Lectura hæc abiret, id non niſi ſero et per ve-

ſtram

ſtram demum Indulgentiam ſeu potius Negligentiam eveniret.

Hæc de ornatiſſimis hiſce viris, utpote ad nos ſpectantia, taceri a me non poterant, cum longe plura longeque majora dicenda reſtant: Sive enim illorum in Amicitiis colendis Conſtantiam, in Rempublicam Amorem, in Eccleſiam Pietatem, in omni denique re et officio Virtutem & Integritatem conſpiciamus, tales omnino reperientur, quibus ad bonorum omnium amorem erga ſe conciliandum nihil deeſt, niſi ut cognoſcantur.

De prorſus ignotis tamen non loquor; neque opus eſt ut in memoriam veſtram revocarem, unum ex his a Senatu Academico, idque potentiorum votis, precibus miniſque contra nitentibus, præ omnibus toties miſſum fuiſſe ut in publicis regni comitiis res veſtras *præſens* procuraret. ----- Sed nunc non eſt his locus: aliquem enim ex ſubſelliis ſuſurrantem audire videor;

Non tali auxilio, non defenſoribus iſtis
Tempus eget.
Tempora mutantur.

De

De his igitur plura non dicam, non tam quod in aliorum Invidiam ea dicta esse, neque quod me non ex animo et veris illorum meritis, sed *grato affectu* et officii ratione ductum hæc protulisse nonnulli existimare poterint, quam quod Laudum suarum præconia, verissima licet, Illorum aures sat scio non lubenter esse admissuras.

Hoc enim egregium in se summa virtus habet, ut non tam recte factorum laudem et gloriam, quam ipsa recte facta prosequatur ; neque superbiam meritis quæsitam sibi sumat, sed mente recti conscia contenta reliqua contemnat, aut saltem minime aucupetur.

Ad Philosophiam et Collectionem Woodwardianam jam se converteret Oratio nostra, quem scilicet sibi finem proposuit, quæ qualiaque in se continet expositura, ni Patientia vestra jamdudum me nimis abusum esse existimarem. Objectionibus igitur nonnullis solummodo nunc breviter occurram, et de horum Studiorum usu pauca subjungam.

Dicunt

Dicunt quidam, Quid ſibi velit hic tantus nugarum, rerumque pedibus ubique conculcatarum apparatus? Quorſum tanta Lapidum, Arenarum, Mineralium, Concharum, aliarumque rerum, quæ nec pretium nec pulchritudinem habent, Collectio?---- Non (inquam) ad Delicatulorum oculos delectandos, non ad crumenas Avarorum implendas; ſed ad veram Philoſophiam excolendam, ad fictas rerum Virtutes Proprietateſque refellendas, ad novas veraſque detegendas, ad res ipſas in naturales quaſdam claſſes et ad genuinam originem reducendas, ad interiores Naturæ proceſſus inveſtigandos, ad fidem denique Sacris Scriptoribus adſtruendam, et argumenta contra Atheos et Deiſtas ſtabilienda. Hoc enim ſemper in animum induxi meum, nihil a Summo rerum Parente creatum eſſe, quod Obſervatione et Contemplatione humana eſſet indignum: Quippe nihil eſt tam tritum, tam vulgare unde Dei Exiſtentia demonſtrari non poteſt.

Vix autem magis diſcrepant inter ſe hominum Ora, quam Ingenia atque Studia; quod laudat ille

contemnit alter; quod huic maxime placet illi nauſeam movet; ſuum cuique bonum, ſua Voluptas eligitur, aut ab Inſtitutione, Uſu et Præjudicio pendet et derivatur; ita ut non magis Fortunæ ſuæ, quam Voluptatis, quiſque ſit faber; ſed revera ita comparata eſt gens humana ut vix ſit res novas audiendi, quam cenſuris eas cumulandi magis avida: Hinc ſæpe evenit ut ea quæ contemnuntur ſint etiam ignota aut parum perſpecta; Plurimique, ut in ſua ſibi plaudant Ignorantia, pulchre ſe egiſſe opinantur, ſi ea quaſi vana et inutilia traducant, ad quorum cognitionem aſſequendam vel Ingenium iis, vel Induſtria et Patientia deerat. Deriſui erant olim qui Antipodes credebant. Terram immobilem eſſe multi haud dudum contendebant (ſi non etiam adhuc contendant) et contra ſentientes quaſi deliros irridebant, vel pro hæreticis damnabant.

Multa præclara, et humano generi utiliſſima, caſu quodam inventa fuiſſe confitendum eſt, tentando vero et experiundo longe plura.

Abſque

Abſque hoc philoſophandi genere Artibus et Scientiis multis, Utilitatibus et Delectamentis plurimis, Medicinis optimis caruiſſemus.

Abſque hoc litora adhuc legerent Navigatores, in altum contendere nequaquam auſi; aut potius non omnino vel navigia vel domicilia ædificaſſent; ſed nec Agros araſſent homines, Metallorum uſum, Ferri præcipue, neſcientes: Cum Americanis forſan plumis etiam adhuc conchiſque ornati ſuperbirent, glandibuſque veſcerentur: Concharum fragmenta vel lapides duriſſimos diu inter ſe collidendo et fricando Inſtrumenta ſibi conficerent, quibus ad uſus Mechanicos, ad Utenſilia qualia qualia conficienda, diuturno cum labore et faſtidio uterentur.

Ut finem tandem aliquando faciam: ex nobiliſſimi hoc Woodwardi Beneficio novæ ſunt ſperandæ Artium Utilium Inventiones, novæ rerum Virtutes et Relationes, non idcirco negligendæ quod ad humanum uſum non ſtatim applicentur. Diu latuit Pyxidis Nauticæ uſus

poſt

poſt cognitam inter Ferrum et Magnetem Attractionem. Mirifica illa, atque olim incredibilis, quam nuper experimentis compertam habemus, Vis Electrica, in varios forſan uſus poſteritati cedet, Magnetis ipſius non ignobiliores.

Me quod attinet, hoc tantum addam, cum Provinciam hanc mihi demandarunt Viri Optimi; Sermonis Elegantia ornatumque dicendi genus utcunque in me deſideretur; in ea tamen adminiſtranda, in vero Fundatoris Conſilio et Inſtituto proſequendo, et re naturali pro facultatibus noſtris promovenda, Diligentia ſaltem non deſiderabitur.

F I N I S.

Imprimatur

Oratio hæc Laudatoria.

Samuel Collins, Pro-præſes.

Thomas Burrell, }
Rich. Torleſſe, } Cenſores.
Will. Dawes, }
Tho. Gill, }

Datum ex Ædibus
Collegii noſtri
Sept. 27. 1697.

ORATIO LAUDATORIA,

In Ædibus

Collegii Regalis Med. Lond.

17mo. die Septembris.

HABITA

A SAM. GARTH,

Col. Reg. Med. Lond. Soc.

LONDINI,

Impensis *Abelis Roper*, apud insigne Nigri Pueri, in vico vulgo vocato *Fleet-street*, MDCXCVII.

Viro Amplissimo, Ornatissimo,

CAROLO MONTAGUE,

Societatis Reg. Præsidi Eruditissimo.

Ærarii Quæstori Primario.

Fisci Regii Cancellario.

Serenissimo Principi

GULIELMO Magno

à Secretioribus Consiliis.

Et Orbis Britannici *deliciis, & fælicitati.*

Hoc obsequii, &

Observantiæ pignus

quàm humillimè offert,

B S. G.

Clarissime PRO-PRÆSES, Collegæ Doctissimi.

Auditores humanissimi!

MIrentur alii, neque id fortè injuriâ, cùm tot adsint Oratores, ingenio pariter & eloquentiâ illustres; me, qui neque doctrinâ neque arte dicendi polleam, provinciam hanc inauspicatò sortiri: Verum hoc quicquid est, sive honoris, sive muneris, non ambitu quæsitum est ac ne minimâ meâ propensione susceptum; sed cùm jubente Præside, reluctari nefas esse duxerim, existimationi potiùs & famæ propriæ, quàm officio deesse constitui; ne fortè videar non satis authoritati ejus auscultasse, cujus ipso etiam in hortatu acquiescere debemus. Nec incepti mei me pæniteret, si tanti viri vestigiis insistere possem: Qui, quot habet

bet verba, tot illecebris leporibusque abundat. Suavitate suâ permulcet, subtilitate docet, argumentis flectit, & varietate delectat; nervosâ insuper *Sallustii* brevitate pollet, *Curtii* acumine, & numerosâ *Tullii*, quoties ita visum est, & diffusâ venâ. Nemo igitur *Millingtonum*, ut par est, nisi qui par ingenium sortitus est, laudare moliatur; quàm impar autem & ineptus ego fuerim, Oratione hodiernâ abundè constabit.

Desunt certè mihi & æquabile dicendi genus, & vis suasoria; neque pressè loqui scio, neque uberiùs, inventio mea jejuna est & sterilis, gestus denique rudis & incompositus. Quid igitur præsentiâ vestrâ, quid arte nostrâ dignum proferam? Non vos latet *Alexandrum* magnum (ut de *Zoroastre*, de *Mithridate*, de *Lysimacho* sileam) haud minimam medicinæ, idque *Stagyritæ* consilio, dedisse operam. Nec mirum, cùm veneranda antiquitas, quamplurimos medendi arte felices, non solum privilegiis, non præmiis, non statuis, sed reverentiâ planè religiosâ, sed cultu prorsùs divino dignos existimaverit: Homines enim ad deos nullâ re propius accedunt, quam sanitatem dando, conservando, restituendo.

Flammam febrium ferocientem restinguit Medicina, artus paralyticos & rigentes, benignis ignibus refocillat,

refocillat, Hydropis laticem exantlat, renum ſcaturiginem ſiſtit, vultum ſquallore morbido fœdatum decorat, & larvam tollit, tabidos inſtaurat, plùs juſtò ſaginatos redigit, torpidos irradiat, & inſomnes conſopit. Plantarum figuras & ſapores pene infinitos diſtinguit, medullam foſſilium intimam rimatur, naturam per mille Orbes & Mæandros ſectatur, ipſiſſimum inſuper terræ centrum, medicinæ perſpicacitatem non fugit, nec quicquam in ipſo deliteſcit Oceano.

Plura dicerem ut artis Apollineæ laudibus nequaquam deeſſem, verùm iſta omitto, ne multa hac occaſione non ita pridem audita recenſere videar. De medicorum itaque dignitate & titulis, qui certiores fieri velint, *Foeſium* & alios conſulant. Sed in ea nos incidimus loca & tempora, quibus ipſa ægrotat medicina. Ars ſiquidem omnibus aliis utiliſſima, ſibi ſuiſque prodeſſe neſcit, dùm plus Pſeudo-medicis quam morbis laborat Anglia. Quot & quales ſint iſti, programmata parietibus affixa monent indies. Hic circumforaneus in plateis equo inſidens, dentes evellit; Ille, domi certis horis fatuos expectat; Alter Matulas inſpicit, & ubi morbum non invenit, facit; Alter, turbâ in unum Funambuli ope convocatâ, venit, videt, in confertiſſimam catervam irruit, & horrendam edit ſtragem. Non autem telis vulnerat iſta Agyrtarum colluvies,

ſed Theriacâ quadam magis perniciosâ, non pyrio, ſed pulvere neſcio quo exotico certat, non globulis plumbeis, ſed pilulis æque lethalibus interficit. O genus hominum, ſi quod aliud ſceleratiſſimum! totam urbem invadunt iſti Homicidæ, ſed an imperitiâ an impunitate majori incertum; pro pudore, audacia, pro ſagacitate inſcitia, pro integritate improbitas hodiè, ut olim, viget. Huic peſti ut occurreret *Henricus* octavus regum auguſtiſſimus, & ſanitati ſubditorum religiosè conſulens, Collegium hoc quamplurimis immunitatibus ad rem medicam moderandam ſtabiliendamque donavit. *Henrici* ad exemplum *Edvardus* ſextus, *Maria* & *Eliſabetha* Reginæ, *Jacobi*, *Caroli*que duo, nullum officii genus ad emolumentum noſtrum ſpectans, omiſere: Multa inſuper *Mariæ* & *Arabellæ Stuartæ* ex regio ſanguine oriundis debemus; *Lumleio* Baroni, ſummæ, eo tempore, authoritatis etiam multa; Nec minora Marchioni *Dorceſtriæ*, Collegii hujuſce regalis Socio, viro etiam animi dotibus quàm natalium ſplendore clariori. Neque nos fugiant Societatis noſtræ & alia ornamenta, *Linacrus* nempe *Atkinſius*, *Readus*, *Meverellus*, *Foxus*, *Gulſtonus*, *Pagettus*, *Bidgodſius*, *Pamannus*, præcipuè vero *Harvæus* & *Hamæus*: ingenti virtute & doctrinâ fuere ambo, ſed indole paulum diversâ: *Harvæus* benignitate clarus habebatur, Morum ſimplicitate *Hamæus*: Ille humanitate feſtivâ probatus fuit, Huic auguſta gravi-

tas

tas dignitatem dedit; Alterius lenitas, alterius ſtabilitas celebratur.

Quanti quidem *Harvæum* facere debemus non tam ex ore noſtro quam ſcriptis ejus diſcat *Europa*. Effloreſcet indies beati Senis fama, quo doctiorem, nulla ætas vidit, nulla forſitan videbit: Cujus ingenii acumen atque ardor mentis, tanquam flamma quædam cælitus delapſa, totum Orbem literatum illuſtravit. Falſa pro veris olim recepta tenebris damnavit, latentia & abſcondita in lucem protulit; ipſiſſimam animalium originem, ſudore majori neſcio an ſagacitate, indagavit; æſtum ſanguinis feliciter obſervavit, motumque reciprocum palam fecit; nihil illum latuit, nemo virtutis ſimul & veritatis ſtudioſior; tanta fuit Illi benevolentia, ut nihil ſciverit quod alios neſcire voluerit; tanta Eruditio ut nemo ex eâ ad hanc fere diem ſciverit quod Ille ignoravit: ad Hæc, qualis in vultu facilitas, in verbis candor, in familiari conſuetudine lepor & venuſtas! Erga Collegas urbanitate, erga amicos conſtantiâ, erga pauperes charitate, erga omnes probitate inclaruit. Deorum immortalium ad inſtar pauciſſimis indiguit, & quampluribus benefecit, etiam poſteris, non ſolum divina edocendo, ſed nos omnes Hæredes ex aſſe conſtituendo.

Haud longe alitèr *Hamæus*. Illius quidem munificentiâ effectum est, ut Collegium hodie superſit; quantis quidem impenſis ædes haſce, ſæviente bello pluſquam civili, vindicaverit, neminem latere exiſtimo. Eſſe quàm videri munificus malebat: Alii munera, alii agros, alii ſtatuas, alii alia exoptant, & optando conſeneſcunt. Hic de nihilo niſi mente ſanâ & corpore ſano ſollicitus erat, Cujus amicitia dum vixit, nunc chariſſima nobis eſt memoria & longum colenda.

Neque *Cutlerum* Baronettum, præterire licet. Si ſilerem Ego, me monerent hi parietes, hæc ſubſellia. Vir ſanè neque alieni injuſte appetens, neque ſui profuſus; haud plus honeſta expetiit, quam male parta devitavit; omnia ſibi negavit, uti multa aliis elargiretur, fame & frigore ſe fere conficiens, uti Egenos victu & igne reficeret; publica curavit, neque interim propria neglexit: plura dicere decorum non eſt, neque fas, pauciora: Filiam diù Illi non ſuperſtitem reliquit, optimis animi ornamentis dotatam, & Illuſtriſſimo Comiti de *Radnor*, proſapiâ inſigni, virtute vero inſigniori, Connubio junctam.

Reſtant & adhuc nonnulli Benefactores qui in vivis ſunt. Domina nempe *Gratia Pierrepoint*, dotium pater-

paternarum nobilium hæres nobilissima: *Henricus Guy* Armiger, vir non minus humani ingenii, quam ad largiendum promptissimi, qui cum *Gulielmo Langham* & *Johanne Banks* Baronettis, integritate & consilio probatis, digni sunt ut commemorentur.

Ad te nunc Coronidis loco convertimur, Gulielme *Auguste, Regum invictissime, non tam Collegii hujusce* Jupiter *Stator & Custos, quàm Orbis Christiani liberator & publicæ quietis restitutor. Quòd regna* Europæa *meliora expectant, Tuum est; quod* Agricolæ *tempestates anni lætas sperant, Tuum est; quod castitatem matres, quod pudorem filiæ jam tuentur, Tuum est. Te venerantur* Angli, *Te observant* Hispani, *Te mirantur* Germani, *Te colunt* Batavi, *& Te verentur* Galli. *Si gesta Majorum tuorum illustria, si genus antiquum spectemus, ecquid non veteres loquuntur Fasti & Annales? Tot Principes & Heroas* è *stirpe* Nassoviâ *oriundos numeremus, quot vix homines* è *suâ possunt alii.*

Ignorat Nemo, nisi qui nescire mallet, vim Gallicam *viginti, & eò ampliùs retro annis, toti* Europæ *tremendam incubuisse. Belli enim desuetudo socordiam, socordia servitutem sæpius parit, adeò ut de libertate publica desperandum esset, ni juvenis* Auriacus, *Majorum more, venienti morbo occurrere festinâsset. Quæ & quanta plane stupenda in* Flandris *gessisti, testatur inter alia prælium* Montibus *dimicatum, ubi hostilem exercitum penitus fudisti, ubi militarem Divi* Julii *scientiam,* Alexandri *annos nondum prætergressus, implevisti; Tu penè impubis & jam Triumphator.*

Te de novo conservatorem petiit concussa salus publica, & in sinum tuum confugit suspirans Anglia; *Non te, propria ambitio Imperatorem fecit, sed nostræ angustiæ:* Britanniam *languentem, & extrema jam perpessam, vel ipsâ præsentiâ tuâ restituisti,*

tuisti, Hiberniam *ferè exanimem, adventu tuo refocillasti. Si insignium virtutis tuæ exemplorum immemor essem,* Boina *flumen me admoneret. Alveum fere deseruit cunctabundus ille amnis ut trajectui tuo indulgeret; traducis copias flumen, ordines deinde instruis, Legiones disponis, res ad manus venit; Ipse in prima acie stas inconcussus; non diu utrinque decertatum est, quin hostes, qui situs & opportunitates locorum apprimè calluere, impetum tuum non sustinentes, fugâ sibi consulere cæperunt. Fugientes insequeris, & quocunque tendis, Te comitatur Victoria.*

Cohortibus tuis nullus aditus vel est asper, vel arduus; subsidunt montes, exarescunt flumina, patent januæ, & armis tuis cedit tota insula. Barbaris *&* Gallis *hoc modo subactis, quò Te fata trahunt, & gloria tua, vocaris;* Flandriam *denuo tot incendiis, vastatam, tot* Gallici *furoris indiciis pessundatam*

revisis,

revisis, patrocinium promittis, & lugendæ rerum sorti benignè succurris. Mænia Namurci *petis; milites, quo jubes, sequuntur alacres, & castris positis, oppidum obsidione premis.* Galli, *spe multâ in copiis & propugnaculis constitutâ, incæptum irrident. Nostri verò pristinæ virtutis memores, acriter & omni impetu obsessos adoriuntur; Teque auspice, & Teste* Francorum *exercitu, Castrum totius* Europæ *munitissimum, expugnant.*

Quis & quantus Ille dies, si tacerem Ego, Columnæ, Arcus triumphales, Obelisci, brevi eloquerentur. Ecquid est Auguste, quod pro utilitate publicâ, non molireris? cum Coclite *natares, cum* Fabio *cunctareris, & cum* Manlio *contra hostium agmina, solus licet, decertares. Non prosperis, supra quàm Majestati convenit, elatus es, neque rebus sinistris infractus; Sed si à Tuis in prælio derelictus fores, Uno animo, sed forti, sed magnifico,*

nifico, universos sustinere quum non posses, singulos vinceres.

Cœli inclementiam, ventorum impetum, Oceani furorem, hiemem & æstatem juxtà perpeti dignaris. Prælium ut primus inis, sic ab eodem ultimus desistis: Dii interim immortales, Te meliùs, quam ipse soles, curent, ne nimium audendo, crudelis sis in eos quos servasti; præsertim cùm ex tuâ unius fortitudine & prudentiâ, tot populorum salus, tot Principum securitas pendere videatur. Si jubes esse fœlices, sumus: Non tuos, ut alii reges, deprimis, sed demulces, sed attollis; neque vis tibi plura licere, quàm nobis omnibus, Tu solus Tuimet Victor. Te eheu! teipsum vincere potuisse, luctuosâ occasione constabat, quum Maria *Augusta, quâ nulla ore amabilior, alloquio suavior terras reliquit. Emicuere in reginæ gestu, in fronte, in oculis, Majestas, candor, veneres, & quicquid delectationem & cultum unà conciliaret.*

Si Octavius Auguſtus, *ſi* Germanicus, *ſi* Trajanus, Liviam, Agrippinam, Plotinam *jactaverint, ecquid de Heroinâ noſtrâ non eloquerentur omnes? ſed ſtillantes paſſim oculi, virtutes Illius cæleſtes fortius nuperrimè enunciârunt.*

Ipſe quidem, Dive Gulielme, *die iſthâc à lachrymis non temperaſti, ſed poſtquam Te eſſe Conjugem amantiſſimum probâſti, Te eſſe Heroem etiam meminiſti.* Rebus Britannicis *denuò invigilas, & negotia publica ſolus ſuſtines, neque magis patriam armis tutaris, quam tuo ornas exemplo.*

Ne miretur aliquis me finem collaudandi ignorare, quum Tu finem mira præſtandi neſcias; ſed in hoc minus ſtupenda ſunt, quia Tua. Monetam noſtram diminutam & adulterinam inveniſti, probam (ſed ſerò ſit utinam) relinques. Britanni *etiam*

ſub

ſub adventum tuum, molles & enerves, nil hodie, Cæſare *duce, niſi victoriam ſpirant, nil niſi turpem famam metuunt. Dies me ante deficeret, quam geſta tua percurrerem, & qui tota recenſere velit, quos Tu emereris annos, habeat neceſſe eſt.*

Talia de Hercule, *de* Scipione, *de* Marcello *finguntur, ſed de Te vel Majora certa ſunt. Fama profectò tua uſque adeo ſe diffudit, ubique gentium ſic inclaruit, ut bellicoſus Ille* Ruſſiæ *Imperator, geſtorum æmulus, & nominis tui cultor, Te viſendi gratiâ, ab ultimo Septentrione venerit; tuo malens frui hoſpitio, tuas virtutes heroicas mirari, quam dignitatem Imperatoriam exercere, & qui eum domi manent triumphos, de* Turcis Tartariſque *debellatis, agere; & mox cùm eum Tu,* Prometheus *alter, igne cæleſti animaveris, Tuo afflatus Genio, tuo numine plenus, ad implenda* Græcorum *vota & vaticinia redibit*

dibit, *Imperium* Orientale *auſpicaturus*. *Regna interim hæc uſque ad invidiam ſub auſpiciis tuis effloreſcunt, qui tam* Optimi *Regis, quam* Maximi *Ducis omnes numeros impleviſti. Reliqua inſuper* Europa, *quin, & ipſa* Gallia, *tam longis belli infortuniis vexata, ad Regiam tuam Legatos mittunt, & finem miſeriarum expetunt. Precibus eorum annuens, ut* Jupiter *olim, nutu tuo Orbem pacâſti. Nunc ſilent litui, nunc rubiginem trahunt arma, nunc redeunt ſæcula ut olim aurea, conquieſcunt Cives, nec hoſtium incurſionibus divexantur Coloni. Deſinamus tandem omnes querelarum, & trophæa tua unanimes concinamus, dum Te domum reducem, ſellæ curuli inſidentem, ſpoliis decoratum, tunicâ palmatâ, purpurâque indutum, lauro coronatum, Captivorum agmine pone veniente, expectant regna tua;* Galliâ *denique in terminos proprios redactâ,* Hiſpaniâ *liberatâ,* Belgiâ *in tuto poſitâ, & Aquilæ* Germanicæ

manicæ *alis ad* Hungariæ *fines expansis*, *Tibi ludos publicos instituemus*, *Teque Orbis* Europæi *vindicem*, *Te propugnatorem*, *Te Statorem grati nuncupabimus. Nec jactent* Galli *Regem suum dedisse Pacem*, *quam tot Urbium*, *tot Provinciarum redditione impetravit. Emit ergo sibi Pacem* Ludovicus *decimus quartus*, *dedit* Gulielmus *verè Magnus*, *idemque Christianissimus*, *Orbi Christiano*.

Vix impetum hic reprimo, sed quoniam Princeps Optimus gesta sua reticeri, quam justis suorum præconiis recenseri mallet, & propriâ virtute, non alienis laudibus inclarescit, ad alia transibo; & vos omnes Collegæ orabo, ut in quantum Clementissimus totius terrarum Orbis Monarcha, regii hujus Collegii patrocinium suscepit, aliquid saltem tanto Patrono dignum moliamini. Præsidis optimi doctissimique, & quamplurimorum hujusce qui adsunt societatis, exempla satis præclara vobis propono; Illi enim angustiarum & calamitatum alienarum participes, Repositorium Pharmacis omnimodis probe instructum, in egenorum levamen poni curarunt. Si pietas itaque tanta, charitas tanta vos commovere

valeat, ſi non in cæteris, in hoc tamen conformes eſtote obſecro; niſi eò ventum eſt, ut inimicos non ſolum foris, ſed domi etiam inveniamus. Si ſtatuta, ſi fides data, vana nomina ſint, veſtrâ utcunque intereſt Collegæ, ne immunitates veſtras vili faciant Iſti, qui vobis ſubſervire debent, ſed ut privilegia quæ a Majoribus accepiſtis, poſteris relinquatis. A vobis itaque obnixè peto, ut rurſus in concordiam redeatis; ut litibus inter nos compoſitis, Societatis noſtræ emolumento unà conſulamus.

Res, tempus, neceſſitas, magìs quam Oratio mea vos hortentur. Nonne eò res devenit, ut nunc veremini eos, quibus vos decet eſſe terrori; quibus honeſta & inhoneſta omnia pariter lucro ſunt; Qui eruditionis inopes, qui moribus inculti, qui omni poſito pudore, ædes haſce funditus evertere ſatagunt; Qui, quod ſpiramus, indignantur: ſed licet diſcordiis noſtris quam ſuis conſiliis ſint feliciores; intelligant tamen nos fortiùs vigilare ad Collegii ſimul & populi ſalutem, quam ad perniciem Illi. Vos interim Collegæ (agant inter ſe Iſti ut lubent) datæ fidei memores futuros ſpero. Plura dicerem ſi apud pertinaces valerent verba, nam ingenuis abundè dictum puto.

F I N I S.

ORATIO

CORAM

COLLEGIO REGALI

Medicorum Londinensium,

EX

INSTITUTO HARVEIANO,

HABITA

Festo Divi LUCÆ,

Anno Domini M.DCC.XXIX.

A *PEIRCIO DOD*, ejusdem Collegii Socio, & Nosocomii Sancti *Bartholomæi* Medico.



LONDINI:
Impensis BERNARDI LINTOT, in Vico dicto *Fleet-street*.

INSIGNISSIMO

Dom. *Hans Sloane* Baronett.

PRÆSIDI,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Medicorum Londinens.

ORATIUNCULAM HANC

Ipſorum Juſſu Editam,

Eâ quâ par eſt Obſervantiâ,

D. D. D.

PEIRCIUS DOD.





ORATIO

Die xviii *Octobris, A. D.* 1729.



UM mihi, nescio quo fato, incumbat ut orationem hanc apud Vos habeam, tùm in laudem Artis nostræ, omnium quotquot sunt præstantissimæ, tùm in memoriam & honorem eorum qui & de illâ, & de Societate hâc nostrâ benè meruerunt; quàm arduam & perdifficilem aggressus sum provinciam, alii è vobis, *Auditores spectatissimi*, experiundo didicistis, alii conjecturâ facilè assequamini. Sistere se, atque suscipere se unum esse, de solenni aliquâ re audiendum, est magnum quoddam atque anceps ausum; præsertim cum nihil sit quod de illâ re dici possit quod non anteà, & ornatissimè, & copiosissimè, dictum fuerit,

erit, & nemo ferè ſit quin acutiùs, atque acriùs vitia in dicente, quam recta plerumque videat. Hanc itaque provinciam, utùt aliis forſan optabilem, & certè honore plenam, mihi ſanè formidabilem, deprecatus fueram, (id quod ab aliis Collegarum digniſſimorum, ſaniore planè conſilio, factum vidi) niſi quod nollem me ſubtrahere à quovis munere præſtando quod mihi demandatum ſit; & Tu, *Vir inſigniſſime*, qui tantâ Tui famâ, & noſtrûm omnium commodo & honore Nobis noſtriſque rebus digniſſimè præes, me non inidoneum judicaſti qui *Harvæi* magni inſtituto, magno hoc in conventu, aliquatenùs ſatisfacerem.

Quâ ratione autem munus hoc abſolvere enitar, & veſtræ de me conceptæ opinioni, quantum in me eſt, reſpondere, paucis accipite.

Primò itaque quædam proponam de Medicinâ in genere, deque iis quibus non modò originem & fundamenta, ſed & omne id quicquid ferè eſt Artis noſtræ ſaluberrimæ, debemus: Deindè pauca adjiciam de variis illius ætatibus atque progreſſibus, & de vario illius ſtatu uſque ad reſuſcitatas Literas; & denique, quod eſt præcipuum hujus inſtituti, oſtendere coner qui-

quibus potiſſimùm viris priſtinum illud decus atque lumen Arti medicæ apud nos reſtitutum eſt, quantumque in hoc laudis genere *Noſtratibus* jure merito tribuendum.

Nunquam quidem non fuit Medicina, ſiquidem, ut rectè *Celſus* *, vel imperitiſſimæ gentes herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt: Neque enim ſylvæ horridiorque naturæ facies medicinis carent, ſapientiſſimo orbis conditore & ſacrâ illâ rerum omnium naturâ nuſquam non diſponentibus remedia in hominum uſum. Et cùm ità comparati ſimus, ut multiplex ægritudinum cohors ſemper terris incubuit, ita procul omni dubio medelæ neceſſitas ab omni ævo hominum ingenia exercuit. Quæ autem nunc concluſa ſunt artibus, omnia quondam, hominum ritu ſylvis degentium, diſperſa latè ac diſſipata, fuitque Medicina paucarum tantùm herbarum ſcientia, &, perindè atque aliæ artes, rudis diu ac inculta.

Quænam gentes illam primùm excoluerunt admodùm incertum; conſtat tamen eam apud

 anti-

* In Præfatione ad Libr. Primum.

antiquiores quaſque, & *Ægyptios* præſertim, plurimo in honore fuiſſe, & illos qui eam cum aliquâ laude alicubi exercuerint, pro more iſtorum temporum, in Deorum numerum fuiſſe relatos. *Græci* autem, ut artibus & diſciplinis quibuſcunque ingenuis, præ aliis, operam navarunt, ita Medicinæ ſtudia, non ſolùm aliquantò magis, * ut apud eundem *Celſum*, ſed & magis abundè apud illos, quàm in cæteris nationibus viguerunt.

Hujus rei illuſtre exemplum habemus in *Hippocrate*, † qui, Scholæ *Coæ* & *Graiæ gentis* decus, ſparſa iſta undequaque colligens, ex parvis illis & vulgaribus initiis Artem medicam ferè totam adinvenit, feliciter exercuit, & in ſcientiam extulit, tùm ampliſſimam, tùm fructuoſiſſimam. Vir, divinâ planè indole & ſagacitate

* Ibidem.

† Αὔτος θείᾳ φύσει κέχρηται, καὶ ἐκ μικρῶν καὶ ἰδιωτικῶν, εἰς μεγάλα καὶ τεχνικὰ προσήγαγε τὴν ἰητρικὴν--τοσοῦτον ὑπερβεβηκὼς τῇ τῆς ψυχῆς εὐφυΐα τοὺς προγόνους, ὅσον διενήνοχεν αὐτῶν, καὶ τῇ τῆς τέχνης ἀρετῇ--πολλὴν γῆν καὶ θάλατταν διασπείρων πανταχόθεν, ὥσπερ ὁ Τριπτόλεμος τα τῆς Δήμητρος σπέρματα, τὰ τοῦ Ἀσκλήπιου βοηθήματα. *Pæti* regis Epiſtola ad *Artaxerxem* magnum, inter Epiſtolas, Sect. 8. Oper. *Hippocratis*.

gacitate plusquam humanâ; ingenii dexteritate tantò majores superans, quantò eos etiam in Artis excellentiâ: *Æsculapii* auxilia, non secus ac *Triptolemus* dona *Cereris*, per magnos terræ & maris tractus vivus dispergens, & quo ista posteris quoque, in omne ævum, beneficio essent, universam rei Medicæ rationem literis consignans, omnium quotquot sequuti sunt Medicorum facilè princeps & parens unicus.

Quantùm autem venerabilis ille Vir, aliique qui illum sequuti sunt, præclara istius gentis ingenia, hâc in re præstiterunt, abundè notum: Vobis præsertim, *Socii doctissimi*, in illorum scriptis versatissimi, quibusque compertum est quousq; processerunt in Medicinâ stabiliendâ. Et sanè, quicunque observaverit ut veteres illi Medicinæ Antistites infinitas morborum series accuratè descripserunt, ut illorum historias, signorumque discrimen, sigillatim illustrarunt, ut eventum periodosque exactissimè designarunt, & omnia demùm quæ ad illos vel internoscendos, vel judicandos, vel curandos pertinent, & diligenter investigarunt, & dilucidè enarrarunt, næ is probè intelliget, quàm magnam *Therapeuticæ* solertiæ partem cuncta

gens medentium *Græcis* debeat, quòdque *Græcæ* linguæ cognitio à peritiâ Medicinæ nunquam ſit ſejungenda.

Græcos tandem ſuperabant *Romani*, armis tamen non artibus; nam ſi unum aut alterum excipiatis, quotuſquiſque eſt inter illos qui ullius artis aut diſciplinæ ſtudio tenetur præter Poêſin & Oratoriam? Non mirum igitur ſi illorum temporibus minus auguſta & parùm ſplendida appareat rerum noſtrarum facies, & ſi ſcientia Medica, fuſè adeo à *Græcis* tractata, vix ullum acceperit lumen à *Latinis* literis. *Celſum* unicum fortaſſe excipiamus, fidelem illum *Hippocratis* interpretem, qui Medicinam, quam ab illo & *Aſclepiade*, aliiſque *Græcorum* plurimis acceperat, in compendium redegit, & non modò propter Artis ſcientiam, ſed propter ſcribendi venuſtatem meritiſſimò æſtimatur.

Qualiſcunque verò fuerit rei Medicæ ſors apud gentem illam, totius terrarum dominam, cùm pernicioſo Barbarorum impetu labefactari cœperit iſtud imperium, eximia quæque Literarum monumenta unà conciderunt, jacuitque Medicina, impio tumultu vaſtata, ferâque diluvie tantùm non deleta.

In hoc rerum ſtatu cum diu permanſiſſent Literæ, inciderunt tandem in manus *Arabum*, gentis bellicoſæ & aſperæ, ſed ſimul cum armis literarum ſtudia agitantium, & per annos dehinc quam plurimos occupatam tenentium Medicinam, ſuique ſequaces omnes ferè habentium: Quali autem emolumento, vel Literis, vel humano generi, ex hoc liquet, quod ſimul atque aditus patuit ad antiquiores Literas, corruebat ſtatim quicquid exædificaverant leviculi iſti homines, exoluitque illorum doctrina, nulli ſolido fundamento innixa, &, doctiſſimorum hominum judicio, non tàm ad lucem dandam rebus obſcuris, quàm ad obducendum tenebras rebus clariſſimis, accommodata.

Lætius hinc ſeſe exhibent res noſtræ, & purior æther campos noſtros veſtit, cùm, renaſcentibus Literis, antiqui doctrinæ fontes cœperint recludi; utque erant ingenia hominum nunquàm magis propenſa ad omne genus Literarum, ſic nullâ in re magis elaboratum eſt quam ad reſtituendam priſcam de re Medicâ ſapientiam, veramque adeò Medicinæ dignitatem.

Hâc in re cùm plures operam ſuam collocarunt, tùm quinam nobis prius potiuſvè commemorandi

morandi ſunt quam ii ſub quorum auſpiciis præclara illorum conamina, tùm orbi, tunc temporis, proſperimè innotuerunt, tùm conſultiſſimè proviſum eſt ut illa ad poſteros etiam derivarentur?

Et primus quidem inter hos, me judice, recenſeri debet *Magnificus* ille *Princeps*, ſub cujus imperio, & priſca illa Scientia, & Literæ humaniores, & ſacroſancta noſtra Fides reviviſcere ac reformari incœperunt. Præclarus namque iſte Rex, ut multa egregia pro re publica, domi foriſque ſæpius præſtitit, ita, perinde atque prudentiſſimi quique ſui ordinis, ſecum reputans quòd nihil eſſet vitâ ac ſalute hominum, vel ſibi charius, vel reipublicæ utilius, & quòd multarum rerum cognitio & morum probitas non vulgaris requiſitæ ſint ad eos qui exercent Medicinam, regii ſui officii munus eſſe arbitratus eſt proſpicere, ut nec quiſque qui vel à populo, vel à ſeipſo Medici nomine appellatur, nec raptim & modicè eruditi, nec improbi aliqui homines, quæſtus potius & avaritiæ cauſâ, quam bonæ ullius conſcientiæ aut Literarum fiduciâ Medicinam profitentes, Medicinæ praxin, non ſine multorum pernicie, aggrederentur; ideoque

in

in unum coire voluit quotquot cum aliquâ honeſtate ſtudia illa ſalutaria ſecuti ſunt, & Collegium hoc inſtituit doctorum & proborum virorum*, qui improborum iſtorum conatibus obſiſterent, & eorum inſcitiamac temeritatem, tàm exemplo & gravitate ſuâ reprimere, quàm per leges regni, & per conſtitutiones ab illis edendas, punire valeant & coercere. Quid à celeberrimis anteceſſoribus noſtris præſtitum fuit ut utiliſſimo huic inſtituto ſatisfactum ſit Annales noſtri abundè teſtantur, nec ſi minus proſperi fuerint conatus magis nuperi, id vitio culpævè Collegii ullatenùs imputandum: Illiberaliter nos tractant ii ad quos appellare nobis ſæpius nimium neceſſe eſt, aliterque omninò quam priſcis illis ſæculis, indoctioribus forſan, ſed magis ſapientibus, & utilitati publicæ meliùs conſulentibus.

Honores regi iſti proximos nemo æquiùs occupet quam *Is* qui in ſummo gratiæ & dignitatis gradu apud illum collocatus, & opibus ac honoribus ultra omnes ſui temporis ſubditos auctus, gratiam illam omnem quâ valebat, & ſtudia omnia

* Vide Chart. Regiam, pro conſtituend. Collegio.

nia deſtinabat, ut animum pium, bonoque Literarum præcipuè conſulentem teſtaretur? Vir immenſi animi; ad maxima quæque natus; rerum prudentiâ & eloquentiâ inſtructus, & quo potiſſimùm fautore ac ſuaſore quicquid factum eſt pro condendâ & ſtabiliendâ hâc republicâ noſtrâ fuit impetratum. Neque hic paſſus eſt conſilia ſua ſubſiſtere Vir inclytiſſimus; cognoſcens quippè quod ſana eruditio firmiſſimum ſit artium præſidium, Academiæ *Oxonienſis* patrocinium ſuſcepit; ad *Græcarum* perindè atque aliarum Literarum ſtudium eos excitabat; omnibus illorum rebus, maximè quoad rem literariam & exercitia ſcholaſtica, vigilantiſſimè proſpiciebat; Lectiones quamplures publicas ibidem inſtituebat, & adeò exornatam, adeoque in omni diſciplinarum genere florentem indies reddidit *Oxoniam*, (Loquor ex Annalibus noſtræ Univerſitatis) ut exteri quique in ſummam admirationem Academiæ iſtius traherentur, & Noſtrates deinceps occaſionem non habeant regiones exteras diſciplinæ gratiâ petendi. Literæ demùm quæcunque nunquam magis niteſcentes, aut majoribus incrementis auctæ, quàm ſub auſpiciis *Magni iſtius Cardinalis*, & Academia

nullo ævo ſortita patronum, vel ad promovendas Literas, vel ad rem ſuam ampliandam, vel ad privilegia iſtius tutanda, ſtudio & affectu propenſiorem, adeò ut fatum illius præmaturum, contra quod ſummorum Aulicorum aliquandò, inter maximas calamitates habeatur.

Linacrum poſt hos memorem, *Caiumne?* Illum, tantum non conditorem, hunc, conſervatorem & vindicem, hujuſcè noſtræ communitatis, quique primi inter Noſtrates ad perlegendos veteres viam nobis aperuerunt, & artem Medicam, jacentem tùm & penè intermortuam, non ſolùm reſuſcitaverunt, ſed civitatem hanc pro illâ impetraverunt, eamque & legibus atque inſtitutis optimis roborarunt, & opibus atque honoribus inſigniſſimis ampliarunt: Uterque ſanè omnigenâ literaturâ cumulatiſſimè inſtructus, & de omni literarum genere viciſſim optimè meritus, ac digniſſimus certè omnibus elogiis, quotquot ſolenni hac, aliâvè quavis celebritate, perpenduntur.

Tempus me deficeret ſi ſingulos commemorare velim qui honeſtâ æmulatione accenſi, vel arti noſtræ promovendæ, vel rebus noſtris amplificandis, ſtudia ſua collocarunt; ſi, *Caldwallum*,

& prænobilem ſocium operis, *Baron. Lumleium*, qui ut res Chirurgicæ intra hos parietes luculentiſſimè explicarentur, conjunctâ ſuâ munificentiâ, effecerunt; ſi, *Gulſtonum*, qui ut idem fieret circa res Anatomicas & viſcerum ſtructuram ac morborum ſedes, beneficè curavit; ſi, *Hamæum*, poſtulante temporum iniquitate, & rerum noſtrarum calamitate, multiplici liberalitate inſignem; ſi, *Marchionem Durnovariæ*, qui non dedignatus eſt inter nos recenſeri, rebuſque noſtris intereſſe, & centum libras in libros emendos, & deinde eximiam ſuam Bibliothecam Collegio dicavit; ſi, *Williſium*; ſi, *Lowerum*; ſi, *Whartonum*; ſi, *Sydenhamum*, alioſque quamplurimos, omnium ubicunque terrarum Medicos celeberrimos, qui *Spartam* hanc, & ſuam, & noſtram, ſcriptis ſuis, affatim cohoneſtarunt; ſi, *Harveium* demùm, maximum virum, & Collegii hujus Gentiſque noſtræ ſummum decus ac ornamentum; cui debemus inventa illa, nunquam moritura, *de Circulatione Sanguinis*, & *de Generatione Animalium*; cuique, inter quamplurima alia, non ſapienter minùs quàm magnificè in nos à ſe collata, annuam hanc illuſtrium an-

tecessorum nostrorum commemorationem, & festivitatem subsequuturam.

Sed & cur ego vetera ista conquirerem, cùm nobis liceat uti magis recentibus exemplis & non ita pridem vivis? virorum nempè in Arte nostrâ præstantissimorum, quique meritis suis, & nos, & alios sui memores effecerunt.

Ecquis enim majori eruditionis aut honestatis cujuslibet laude societatem hanc unquam exornavit, quàm *Gulielmus Gibbons?* Præsignis ille senex; in Artis professione candidus & apertus; in studiis indefessus; literarum & literatorum, & suorum *Oxoniensium* amantissimus; in praxi Pietatis & Medicinæ simul exercitatissimus; erga pauperes maximè beneficus; in toto vitæ cursu verè Christianus; moribus antiquis, hoc est, optimis, & quo vix superiorem, inter eos quibuscum inclaruit, repertum iri confido, paucissimos certè pares.

Proximus sese offert, Vir & naturâ admirabili, & ingenio peracri, & doctrinâ eximiâ, & Genio loci, in quo enutritus est, abundans, *Johannes Freind*, *Iapis* ille alter,

Cui suas artes, sua dona lætus,

Et

Et lyram, & venæ ſalientis ictum
Scire conceſſit, & celerem medendi
Delius uſum.

Hinc, non in ſuâ modò Arte, ſed omni politiore elegantiâ excultus, & cum optimis doctiſſimiſque quibuſque verſatus, nil mirum ſi in re Medicâ ſcriptis exornandâ non minus accuratus fuerit, quàm in eâ exercendâ felix, ſique nihil prius habuerit quàm ut ſuus honos, tùm Collegio, tùm utiliſſimæ noſtræ ſcientiæ conſtaret, donec in principem Medicorum fermè evectus, perpetuis ſtudiis, laboribus, vigiliis, itineribus exercitus, ex immodicâ fatigatione, (ut notiſſimis in unaquaque profeſſione ſæpè accidit) morbo correptus, triſte ſui deſiderium reliquit.

Nequè verò hic prætermittendus eſt *Richardus Hale*, qui quanquàm primo intuitu, ut ii plerumque qui maniacorum curam aliquamdiù habent, quadantenùs aſper, non illo tamen quiſquam benignior, amicior, doctior, aut melior : Eâ quippe comitate & integritate ut relligio ſibi fuerit alios in errorem ducere, eâ etiam ſapientiâ atque eruditione quæ ſibi ab aliquo imponi nullatenùs

latenùs paterentur; ſingulari amore in viros ſuæ Profeſſionis; multi in illâ nominis, eamque adaugere & exornare omni ratione contendens; *Academicorum* honorem atque commodum præcipuè promovens; dignitati & utilitati hujus Collegii animitùs proſpiciens, & legatis quingentis libris pro coemendâ ſupellectile literariâ, illud munificè ditans; tam probus denique tantuſque, tàm in arte ſuâ, quàm cæteris vitæ muniis, ut illius lethum fuerit, juxta ac illud *L. Craſſi* apud Ciceronem*, *acerbum ſuis, luctuoſum patriæ, grave bonis omnibus.*

Hiſce præclaris exemplis excitati, illorum veſtigiis, *Collegæ ornatiſſimi*, feliciter inſiſtatis.— Studio igitur in quo eſtis, incumbite, & in re Medicâ promovendâ omnibus nervis elaborate. Tribuatis huic quantum temporis poteritis; poteritis autem, pro maximâ parte, quantum velitis; vix eſt quiſquam è nobis quin illi interdùm, ex inſperato, ſat ſuppetit otii. Quantò plus præſtamus in eruditione, tantò magis aliquandò exiſtimabimur: Imperitia autem, quemadmodùm annotavit

parens,

---

* *Libr.* 3*tio.* De Oratore.

parens noſter *, malus theſaurus, malæque opes reconditæ pro iis qui eam poſſident; timiditatis enim & audaciæ nutrix eſt, quarum hæc Artis ignorationem, illa impotentiam arguit. Artem noſtram *Apollineam* omnimodè honeſtate; dignitatem veſtram omni ſtudio tuemini; honori & utilitati Collegii in omnibus rebus conſulite; Matris communis, h. e. *Academiæ utriuſque*, amorem ſervate, & ità tandem, quantùm vos curæ & beneficentiæ majorum noſtrorum debetis, tantùm vobis, ſerò precor, debituri ſunt poſteri.

---

* Hippocrates Pag. 2.
Ἡ δ' ἀπειρίη, κακὸς θησαυρὸς, καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν αὐτὴν δειλίης τε καὶ θρασύτητος τιθήνη. δειλίη μὲν γὰρ ἀδυναμίην σημαίνει, θρασύτης δὲ, ἀτεχνίην.



ORATIO ANNIVERSARIA

IN THEATRO COLLEGII

MEDICORVM LONDINENSIVM,

Ex HARVEII instituto,

Habita, Die 18° Oct.

A. D. MDCCXLII.

A BENJ. HOADLY M. D. Coll. Med. & S. R. S.

LONDINI:

Impensis JOHANNIS & PAULI KNAPTON, MDCCXLII.

PRÆSIDI DIGNISSIMO

HENRICO PLUMPTRE M. D.

ET

SOCIIS DOCTISSIMIS

Collegii Medicorum Lond.

HANC

ORATIONEM

ILLORVM IVSSV EDITAM

D. D. D.

BENJ. HOADLY.



ORATIO HARVEIANA.



UOD Ego, hoc in loco & tempore, Oratoris Harveiani perſonam ſuſtineo, potius quam munere fungor, magno veſtrarum aurium incommodo, (Socii, & Auditores doctiſſimi) id totum tibi (Præſes digniſſime, & mihi multis nominibus colende) referri debet. Tu enim ita voluiſti——

Orationis habendæ, in doctorum virorum frequentiâ, difficultatem, quam ab ineunte adolescentiâ ad hunc diem pertimui, & nunc pertimesco———Ingenium, in hujusmodi præsertim rebus, exiguum———Nullum Usum———Ne minimam quidem dicendi Exercitationem: ———Omnia, quæ potui, excusavi. Tu vero has meas, non quæsitas, sed justas & infucatas, excusationes adeo non probasti, ut constanter in proposito permaneres. Vicisti, igitur, uti par est; & Ego, vestro jussu Orator repente factus, coram adsum; aliquid dicturus, si modo potero, ab Harveianâ hujus diei institutione non omnino alienum.

Si ducenda sunt a DEO omnium maximarum & optimarum rerum principia, tum præcipuè Medicæ artis, miseris hominibus adjuvandis natæ: quam unà cum morbis, malis, & ægritudinibus humanis, & nasci, & incrementis augeri, Ille optimus maximus omnium rerum Conditor vere dicitur voluisse. Illi enim visum est, & his malis humanum genus, in hoc animantium domicilio, circumdare; & materiam medicam ubique sparsam sensibus

eorum

eorum objicere ; & eâdem operâ Homines rationis & ingenii vi inſtruere, ad omnia exploranda, tentanda, invenienda, & paranda, quæ ſaluti Hominum inſervire poſſent. Hinc igitur, Dei quaſi juſſu, Medicina, Ars Valetudinis; primò rudis, incondita, fortuiti vel temerarii tentaminis Res ; deinde gradatim ad majora aſcendens, acrius experiundo, & Naturæ ipſius indicia accuratius obſervando, & conſtantius colendo, tandem facta, qualem nunc videtis: gloriam magnam, & penè divinam conſecutura, ſi modo totis viribus, qualeſcunque ſint, re perficere contendat, quod verbis, & nomine promittit.

Quid enim in hâc rerum Univerſitate magis magnificum, & hominibus glorioſum? Quid eos ad ſimilitudinem Deo propius facit accedere, quam plurimis prodeſſe? quam miſeriis, quæ omnes premunt, & calamitatibus, quibus gens humana perpetuo objicitur, opem ferre; quam vitam brevem, & ærumnoſam, (breviorem, & ærumnoſiorem, ſine Artis adjumentis & allevamentis, futuram) aliquantùm protrahere;

& mala arcendo, minuendo, & mitigando, placidiorem, & leviorem reddere?

Immortalitatem mortalibus arte medicâ donare Nemo ſanus unquam vel in animo cogitavit. Sed aliquid certe eſt, Mortem, adeo mortalibus inviſam, & a tergo quotidie prementem, paululùm remorari, & repellere; aliquid eſt, morbos moleſtiſſimos relevare, & illorum acumina hebetare; omnes recte & diligenter curare, plurimis etiam omnino mederi; aliquid eſt, de mortalium acerbiſſimis doloribus partem detrahere, alios lenire, alios ſæpe depellere & amandare.——Hæc non ſunt minimæ laudis. Sed longius ea perſequi non eſt inſtituti hodierni. Intra Diei ipſius rationes, & Collegii noſtri limites, continenda eſt Oratio. Si ergo ſæpius antehac dicta repetendo aures veſtras contundam; date hanc veniam ipſi huic Inſtitutioni, quæ hoc a nobis poſtulat, ut Eorundem illuſtrium Virorum Nomina, qui hoc Collegium aut primo ſtatuerunt, aut re poſteà auxerunt, aut ingenio ornarunt, Immortalitati mandare (quantum in nobis eſt) quotannis enitamur.

De Linacro noſtro, ante omnes primo, gloriari & merito poſſumus, & debemus. Erat is vir, cùm literis latinis, tum etiam græcis, inter multos ejus ætatis eruditos, eruditiſſimus. Poſt juſtos annos *Oxonii* humanioribus literis impenſos, in *Italiam* ſe contulit; non inani ſtudio, vel loca amœna, vel antiquis nominibus nobilitata, viſendi; neque ut curioſum ſe in alienis rebuspublicis præberet; ſed ut oculis ſuis Literarum, Florentiæ & Romæ præcipuè, tunc renaſcentium, progreſſum videret, & ut auribus ſuis Viros omni genere doctrinæ inſtructiſſimos audiret; ut ab Horum ore penderet, & ad Hos ſummos viros imitandos, & tandem ſuperandos, ſeſe formaret. Domum itaque reverſus, non nugis & fabellis viatoriis, uti mos eſt, aures vel oculos popularium ſuorum demulcere, & detinere, dignatus eſt; ſed ad amplificandam & ornandam rem literariam, & medicam, ſe totum accinxit. Veteris Romæ rudera; Statuas, & Statuarum disjecta membra; Amphitheatrorum moles, & fragmina;——Has, aliaſque omnes, immitis Temporis reliquias, aliis, otioſis & curioſis, laudandas & deſcribendas reliquit.

Majora

Majora longè ille animo in Itinere cogitabat, quæ poſtea Domi, magnâ cum laude perfecit. In Aulam, Henrici Septimi juſſu, ad regiam, & regiæ prolis, ſalutem tuendam, ab Oxonio (ubi Profeſſoris Cathedram tum ornabat) arceſſitus, poſt primos Invidiæ impetus virtute fractos & repreſſos, ſub illo Rege, et ſub filio Henrico Octavo, ſummâ & Dignitate & Gratiâ, diu floruit.

INTER has graviores curas, per multos annos feliciter continuatas, non erubuit *Grammaticam.* Ejus enim rudimenta, Anglico ſermone conſcripta, in Anglorum omnium Uſum primo edidit; & poſtea (ut ipſius verbis utar) *ad* Mariæ Regis filiæ *generoſum ad ſtudia literarum ingenii impetum juvandum & fovendum, in ſummam, quam potuit, redegit claritatem.* Hæc rudimenta abunde laudavit Buchananus, magnum illud Scotiæ Decus, Latinitate ea donando, & in exterorum omnium gratiam publici juris faciendo. Tanti ea fecit Vir Maximus!——Parva ſunt hæc, fateor; & parva eſſe Linacer ipſe bene novit: ſed ſine parvis Magna non conſtare perſuaſum ſibi habuit.

buit. Et quidem ex his parvis, aliisque ejusdem generis Eruditissimi viri laboribus ad linguarum cognitionem spectantibus, Fama sui nominis tanta fuit, ut a doctissimis ejusdem ætatis viris, primus & princeps Literarum humaniorum in his locis instaurator merito celebraretur.

His vero non contineri potuit Linacri animus: sed, gentis humanæ commodis semper intentus, cum se Regio favore tutum satis & munitum sensisset, Gratiam illam eximiam, quam adeptus est, ad utilitatem publicam convertere apud se statuit: Et, propenso illo quo erat in commune bonum animo, Medicinam præcipuè resuscitandam, tuendam, augendam, & ornandam, suscepit. Quid multa? Prudentissimus rerum Estimator recte secum cogitavit Regem Patriæ Patrem esse debere; Paternum & Regium esse saluti Civium, tanquam filiorum, prospicere. Et cum in eâ sententiâ esset, Artis Medicæ Exercitationem nullis legibus obstrictam, Licentiam esse immanem, & Valetudini Hominum maxime inimicam; Collegium hoc non solum instituit, & Statutis circumscripsit;

ſcripſit; ſed Regiis literis, & Legum auctoritate, confirmari & muniri curavit; ne ſtatim in auras evaneſceret utiliſſimum Ejus conſilium. Primus ipſe Præſes, in Ædes, quas ipſe habitabat, dum viveret, Socios convocabat; & Præſes moriens eaſdem ſocietati legavit, perpetuum Conventus locum. Duo præcipue in animo habuiſſe videtur: Unum, ut Statutorum vi, Qui a literis alieni, indocti omnino, & ex omni parte inculti, non ſolum ab hâc Societate perpetuò arcerentur, ſed intra quoſdem limites deſignatos in Medicâ arte ſe exercere non auderent; Alterum, quod omni laude nobis celebrandum, ut mores Suorum, præſertim inter ſe mutuos, præceptis formaret, & regeret; & Præceptis quidem, quæ, aureis literis digna, probitatem ſimul & humanitatem Statuentis ſpirant: Qualia, ſi non ſemper rei medicæ in honorem, & utilitatem cedant, Hoc nullo modo, (liceat mihi dicere) niſi noſtrâ culpâ, & cum noſtro dedecore, fieri poteſt.

Ioannes Caijus ſemper nobis in hac annuâ celebratione cum Laude nominandus. Summam ejus eruditionem, & accuratam lingua-

rum

rum peritiam, teſtata eſt Italia ipſa; quam Ille quoque (Linacri ad exemplum) adiit, atque, ad ingenium colendum, doctiſſimos viros, ibi tunc degentes, avidè & attentè audivit: Ipſe tanto apud eos in honore, ut non ſolum Doctoris titulo * *Paduæ* inſignitus, quod quotidianum eſt; ſed, quod raro fieri contigit, Græcæ Linguæ Prælectoris munere, ipſe Hoſpes & Peregrinus, ornatus eſſet. Munificentiam ejus, & propenſum in literas Amorem, per omnia ſæcula teſtabitur Cantabrigia. Poſt reditum enim in Patriam, famâ & opibus tandem dives, Collegium apud ſuos Cantabrigienſes, ſecundo (eoque ſuo) nomine decoratum, ædificiis, &, quod multo majus eſt, emolumentis, & annuis ſtipendiis, præclarè auxit; ad alendos & ſuſtentandos tres Socios, & viginti adoleſcentes literis ibi operam dantes. Hæc, quæ verè magna ſunt, & memoratu digna, ad Theologiæ, & omnimodæ Literaturæ, præſertim vero Artis

* Ita Tabulæ Cantabrigienſes antiquæ, in annuâ ipſius Caii Commemoratione ſemper recitatæ: *Bononiæ*, Alii tradunt; incerto neſcio-quo teſtimonio, uti videtur, ducti.

Medicæ, augmentum & progreſſum, optimo animo, & cogitavit & perfecit. Quod ad hanc Societatem attinet; Mitto Inſignia illa, in Collegii uſum ab ipſo excogitata & dedicata; quæ & Virtutis Inſignia vocari Bonus Vir voluit. Sed non mitto Patrocinium inſigne, quod noſtris rebus, in diſcrimen adductis, omni operâ, & totis ingenii viribus, feliciter præbuit: Neque hoc ſilebo, Caium noſtrum, muneribus omnibus ad Collegium hoc pertinentibus, per multos annos, diligentiſſime & cum honore functum, adminiſtrationis inculpatæ Exemplum aliis reliquiſſe.

CALDWALLI, & nobiliſſimi LUMLEII, conjuncta munificentia, rei Anatomicæ, & proinde Medicæ, utiliſſima, nunquam nobis tacenda; Si rem ipſam ſolùm ſpectemus, præclara; ſed præclarior facta Harveianis Prælectionibus nunquam ſatis laudandis.

ET GOULSTONUS hic quoque cum honore memorandus, qui Prælectiones Medicas, ad ſcientiam & Curam & Medelam Morborum,

accu-

accuratiſſimè formatas & aptatas, inſtituit, & honeſto ſtipendio donavit.

AD HARVEIUM properat Oratio, quo Nemo, poſt homines natos, felicior in indagando, inveniendo, & explicando, quæ Medicinæ veram gloriam & accuratam exercitationem longius latiuſque extendere poſſint. Ille quoque, poſt Cantabrigienſia ſtudia, Italiam adiit, non ut Pictorum, vel ſuave-modulantium Cantorum ſedem; ſed ut, iis temporibus, Humaniorum Literarum & Medicinæ Theatrum inſigne; & quaſi totius Europæ alteras Athenas. Doctor ibi Paduenſis, & poſtea Cantabrigienſis; Regius item Medicus. Sed ab his nominibus, (quamvis magna ſonantibus) non pendet Harveiani nominis gloria. Æternam ſibi famam non ex vocibus & ſonis, ſed ex laboribus & vigiliis, Vir Maximus conquiſivit, & comparavit. Imò, ex ſolis Prælectionibus Caldwallanis *de Motu Cordis & Sanguinis*, tantam gloriam, omnium conſenſu & plauſu, conſecutus eſt, quantam Nemo fere alius mortalium etiam doctiſſimorum unquam adeptus eſt.

ERANT quidem apud Exteros perpauci, qui, peſſimo animi morbo laborantes, inviderunt Optimo viro præclarum ſuum Inventum; & totis viribus conati ſunt gloriâ tantâ Nomen ejus ſpoliare. Et poſt hoc breve & iniquum certamen, quod ſtatim evanuit, Erant alii, qui quaſi rem levem, & nullius momenti ad Scientiæ Medicæ augmentum, tractarunt; utilitatem Inventi omni operâ diminuere, vel potius omnino delere, contendentes: & nihil Harveio relinquentes præter inanem illam Curioſorum, non Gloriam, ſed ſpeciem vel imaginem Gloriæ, Harveianâ indole indignam. Gloriam enim ab utilitate ſejunctam, ut in re medicâ nullius pretii, bene novit Vir magnus repudiare potius quam ſibi ſollicite vindicare. Sed omnia hæc & talia commenta diluit Dies, veritati ſemper amica.

POST hos, & alios plurimos Harveii in Medicinæ culturâ labores doctiſſimos, quibus totum genus Medicum, & genus etiam humanum, ſibi in æternum devinxit, non Nobis ſilenda eſt egregia, & penè inaudita erga nos Bene-

nevo-

nevolentia, quâ non ſolum Collegium Ædificiis novis, & Libris auxit; ſed Se adhuc vivum paterno fundo exuere non dubitavit, ut noſtris rebus ſuccurreret: Undè & Ædium conſervationi conſuluit, & Bibliothecario & Oratori ſua præmia conſtituit; atque etiam honeſta convivia parari, & ornari voluit, ut mutuæ inter Nos amicitiæ ſigna eſſent, & incitamenta; ut vultu hilariore, & apertiore pectore, & colloquio liberiore, nos ipſos mutuo exciperemus; &, animas animis conjungentes, communia conſilia facilius iniremus: Hæc enim ſunt vera Ingenuorum Convivia. Sed de tanto Viro, Quid talia memoramus?——Dum Sanguis per humani corporis Arterias & Venas, divino plane artificio, fluit, & refluit, Honos, Nomenque HARVEII, Laudeſque manebunt.

HARVEIUM proximè ſequitur HAMEIUS, Cujus in hanc ſocietatem tanta ſunt merita, ut ipſius Auctoris non multo majora dici debeant. Ædes ipſas Linacrias, atque omnia Collegii Bona & Emolumenta, Præconis iniquæ voci ſubjecta, ſuo Ære redempta; Eaſdem Ædes

poſtea

poſtea incendio illo luctuoſo conſumptas, amplioribus & comptioribus compenſatas, ſeu potius longe ſuperatas, quales nunc videmus—— Quoſdam etiam ex Amicis conjunctiſſimis, exemplo & ſuaſu ſuo, in ſocietatem beneficentiæ adductos——Hunc ipſum fortaſſe Conventum;——Hæc & plura, HAMEIO debemus: Quæ quidem talia ſunt, ut merito laudis ejuſdem cum Linacro particeps fiat; non ſolum laudis quæ ad linguarum accuratam ſcientiam, & in literas ardorem; ſed Ejus, quæ ad noſtra hoc in loco commoda pertinet: in quibus omnibus *Linacro* tantum ſecundus, & parvo intervallo proximus. Si enim Hic, qui fundamenta primus poſuit, Inſtitutoris, & Auctoris Laudes meruit; Ille, qui Inſtaurator, Reſtitutor, & Amplificator; ſine cujus ope & munificentiâ, Societas ipſa, quantumvis accuratè fundata & exſtructa, ſi non diſſipata & projecta periiſſet, certe inculta & ſquallida jacuiſſet; æqualem fere videtur, eamque eximiam, gratiam à nobis meruiſſe. Et, quod nullo modo prætereundum eſt, Ille idem HAMEIUS, qui his Beneficiis

ficiis vivus adhuc Nos affecit, in Morte etiam eandem in hoc Collegium animi benignitatem legatis prædiis demonſtravit.

NOBILIS DORCESTRENSIS hanc noſtram Societatem ſibi & Memoriæ ſuæ devinxit, amore illo, quo Medicos ſemper coluit; ſtudio, quo ipſe in Medicinæ notitiam, & familiaritatem, quaſi raptus eſt; munificentiâ, quâ Librorum ingenti copiâ Bibliothecam noſtram ditavit; & poſtremò magnâ illâ in Artem noſtram animi propenſione, quâ ipſe inter Medicos nomen ſuum profeſſus eſt; atque ita Collegium noſtrum ſummo honore affecit. Et hinc quidem Occaſio nobis arripienda eſt Duos ex nobiliſſimis noſtræ Ætatis viros, grato animo, & omni laude proſequendi, qui Annales noſtros nominibus ſuis illuſtriores fecerunt —— Grande Decus ſimul & Præſidium Nobis, & Rei Medicæ! *

POST

* Neſcio-quo Errore meo, in enumerando præclaros illos viros, quorum beneficentiæ & largitati multum debet hoc noſtrum Collegium, HALEI mentionem nullam feci. Pudet Me

POST hanc tot Virorum excellentium Commemorationem, tam prolixè explicatam, qui hoc Collegium beneficiis & emolumentis, quidam etiam & ſcriptis præclaris, inſtruxerunt & ornarunt; Si per tempus liceret de omnibus aliis quoque noſtris ſingulatim dicere, qui doctiſſimis ſuis laboribus, dum in vivis eſſent, Rem Medicam auxerunt, & de eâ optime meruerunt; libentiſſimè eorum Nomina, non ſine laude debitâ, à primordiis hujus Societatis uſque ad noſtra tempora, ordine deducerem. Verum Dies ipſa me deficeret aliquid dignè dicere conantem de tot vix enumerandis Viris. Neque quidem opus eſt. Nam cùm Eorum nomina in ſummâ laude & gratiâ apud omnes jam pridem conſtituta ſunt; tali auxilio, & tali Prædicatore, eorum Fama non omnino eget.

AD nos ipſos nunc ſe vertit Oratio. Tot ac tanta noſtrorum Exempla repetentes, ſi eorum

Me negligentiæ. Eruditiſſimi enim viri Nomen locum ſibi jure vindicat in hâc annuâ Commemoratione, propter Munificentiam illam, nunquam nobis obliviſcendam, quâ quingentas libras in uſum & Augmentum Bibliothecæ noſtræ legavit.

Memo-

Memoriâ animati, & excitati, (de quo non dubito) ingenuâ cupiditate ardemus eandem gloriam consequendi; HARVEIUS ille nobis quasi digito viam monstravit. *Naturam ipsam suorum Arcanorum fidissimam esse Interpretem*, Vox fuit *Harveii :* Et si ipsa Medicina loqui posset, eâdem voce uteretur. Huic uni principio Ille innixus, & attentus, omnes suas curas instituit ; & omnia fere, quæ speranda essent in nostrâ Arte, invenienda, & demonstranda, non dubitavit. Hâc Voce, aliorum virorum gravissimorum suffragio comprobatâ, & Experientiâ & multorum annorum Usu confirmatâ, Omnes tandem edocti, Hypothesibus (quas dicunt) etiam speciosissimis abjectis, & repudiatis, ad ipsius Naturæ indicia animos attendimus.——Ægrotorum cubiculis, & lectis, inhærere; Morbis ipsis perpetuò invigilare ; Eorum Sedes, Constitutiones, Mutationes, & Vicissitudines, diligenter & accuratè observare——Hæ sunt nobis Artes : Atque his solis, Artis nostræ utilitatem omnibus probare, & Saluti hominum,

quæ in noſtrâ tutelâ eſt, conſulere, contendimus.

STUDIORUM & Laborum ita inſtitutorum Virtute; Linacrii Collegii Auctoritate; & ſub Auſpiciis Virorum nunc in civitate Medicâ jure principum, ſuis meritis illuſtrium, & aliorum honeſtis conatibus ſemper faventium; Mihi quidem videor videre Medicinam caput attollentem, & ad altiſſimum dignitatis gradum properè aſcendentem.

ET Tu, Optime LINACER, ſi qua Te apud Superos noſtrarum rerum Cura tangit, paterno animo tuum Collegium ſpecta. Primo, Caiium, Harveium, Hameium, alioſque aſpice, tuis Veſtigiis inſiſtentes, & tua incepta ſummo ſtudio perficientes. Deinde, ad noſtra uſque tempora oculos dirige; &, ſi gaudiis cœleſtibus noſtra admiſceri fas eſt, Gratulare tibi—— Præſidem, & Doctrina, & Moribus, quales ipſe velles, excellentem; &, ut verbo dicam, Deceſſoris optimi & doctiſſimi Succeſſorem digniſſimum——Socios Omnes, uno tantum excepto, Te & tuâ Inſtitutione dignos; Juni-

ores

ores erga Seniores obſervantiſſimos; Seniores erga Juniores candidiſſimos & humaniſſimos-- Omnia intra hos parietes, & votis tuis, & legibus, conſentanea——Nulla diſſidia, nullas ſimultates——Nulla vel Odii vel Invidiæ veſtigia——Unum hoc inter nos Certamen, Quis melius, & felicius, ſaluti hominum inſerviat; famam ex hoc ſolo quærentes, & partam tuentes.

TALIBUS Exemplis, atque his Moribus, cultum, auctum, & ornatum, Collegium tuum, Tu ipſe, Optime LINACER, amabis, & laudabis.

Lately Publiſhed,

THree Lectures on the Organs of Reſpiration. Read at the Royal College of Phyſicians at *London*, *A. D.* MDCC XXXVII. Being the *Gulſtonian* Lectures for that Year.

To which is added, An Appendix, containing Remarks on ſome Experiments of Dr. *Houſton*'s, publiſhed in the Tranſactions of the Royal Society, for the Year 1736.

By B [illegible] Fellow of the Colle[illegible]

ORATIO ANNIVERSARIA

In THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM

EX

HARVÆI INSTITUTO

HABITA

POSTRIDIE *D. LUCÆ*, 1747.